

2150.











12 Apr

DA BOX

759





64

IOLAS

ECLOGA

QVA CANITVR GENETHLIACON RECENS NATO ILLVSTRI PRINCIPI, D. CHRISTIANO, *Potentissimi Danorum Regis,* FRIDERICI *secundi &c. Filio Primogenito.*

Cui breuis etiam Historia connubij & coronationis Regiæ obiter, inserta est:

Autore

ZACHARIA à VVIDING *Holsato.*

CHRONODISTICHON *Natalitium.* 1577.

CVLtor Is Vt ChrIstI tIbI reX VIrtVtIs aVI sIC
FVLtor erIt, CVIVs noMen Vt hVIVs habet.



Laurentius Gussig 1639

HAFNIÆ, IMPRESSIT *Laurentius Benedictj.*

ANNO 1577.



M· H. Z. G. A.

1567.

65

IN ICONA FRIDERICI II,

Danorum Regis Potentiß:

Zachariæ Widingj

IAMBICVM.

HÆc ſunt FRIDRICI Regis ora DAniæ,
Qui nominis Rex illius SEcundus eſt:
E CHRISTIANO Rege natus inclyto
Huius fuit Rex nominis qui Tertius:
Qui plenus ô tui Deus Spiraminis
Natum tuum dilexit, & Verbum tuum, &
Verbi miniſtros vnicè, Muſis erat
Patronus, & defenſor, altor, arbiter:
Et Patriæ charæ Pater chariſsimus,
Florens coróna cœterorum Principum:
Qui nunc Dei Patris, Deiq; Filij,
Deiq; Spiritus videns præſentiam,
Verſatur inter Angelos lætiſsimus:
Hunc Filium FRIDrichium Regem pium
Loco ſui, ſuum ter illuſtriſsimum
Regnis relinquendo ſuis, per omnia
Patris boni, regi pio, virtutibus,
Vultuq;, moribus pijs ſimillimum:
Qui patris inſtar: numine excitus; ſui
Vt filius iuſti patris pijſsimus,
Succeſſor & Regis pij iuſtiſsimus
Natum DEI colens piè Euangelicæ
Doctrinæ adhæret integræ integerrimus;
Et gratiæ ſigilla ſacratiſsima
Vult pura nec polluta tradi ſingulis
Suiſq; Regnis, & ſuis ducatibus
Qui Muſici protector agminis,
Et oſor eſt iniuriæ, ſolatium
Orbis maritis, patribusq;, regia
In ſupplices clementiaq;, in noxios
(Atrocioris criminis ni ſint rei)
Seuera iura mititate temperat.
Hinc exteris, & incolis ab omnibus
Amatur vt patriæ Pater dulciſsimus,
Decusq; Regni, lux piorum Principum:
Cui ſalutem det DEVS ſalutifer
Vt Rege Regnum, Rexq; Regno floreat
Vtrinq; vtroq; perpetim ſuperſtite.

IN ICONA FRIDERICI II.

Danorum Regis Potentiss.

16. Danmarckis waaben er: Thre himmelblaa leffuers lignelse: vdi it guld bond eller feld ... Belt oc Welfarsund: ... Det ere de leffuer sterke. (Tres coronati leones ... robustissimi regali diademate præcellens, ... acutissima ...) 15: Nordske waaben ...

5. ... waaben ... guld kronis lignelse / vdi ... blaa lafftue ... det forst eller feld.

(Signum Regale ... : hvor vdi alle Danmarckis rigis vaaben ere afftegnede.

9. Slesuigs vaaben er: (Gemini leones in campo ...) thuende gule leffuers lignelse: vdi en ... bond eller vdi en blaa bond eller feld.

4: Oldenbur ... er: Thre ... lignelse vdi en guld bond ...

7. Stormarnske waaben er: En hvid Suanis lignelse ...

10: Islandske waaben er: ... it Islandsk fiskis lignelse vdi rød bond.

11: Gullands waaben er: ...

14: Thre kroner / bond som bemercker disse thre Rig (Danmarck Suerige oc Norge) ... vdi en blaa bond eller feld. (Tres regiæ coronæ ...)

8: Holstens waaben ... 6. Dytmerske waaben ... 13: Gotti ...

A: Dania. B: Noruegia. C: Suecia.
D: Vandalia. E. Gothia. F. Slesuig.
G: Holsten. H: Stormaria. I: Ditsmaria.
K: Oldenburgum. L: Delmenhorst.

A Dania
B Norvegia
C Suecia
D Vandalia
E Gothia
F Slesuig
G Holstein
H Stormaria
I Ditmarsia
K Oldenborg
L Delmenhorst.

IN EIVSDEM ILLVSTRISsimi Regis, Regalia schemata.

HÆc sunt FRIDrici DANorum Insignia REGis
Quælibet ornatur Stemmate terra suo.
DAnia cœruleos ternos sibi aquosa LEones
Vendicat aurato, in corda nouena, solo:
Sicq; bipenniferum NORuagia lata LEonem
Est Clypei roseo pingere sueta solo:
Aurea cœruleo sed enim Diademata scuto
Triquetra SVediaci splendida signa soli.
Corda nouem LEO transiliens animosus amœna,
VANdalicæ terræ signa vetusta refert:
Corporis alati Philyræ de voce DRAconem
Sanguineo in Clypeo vult habitare GOthus.
Cœruleos geminos Clypeo flauente LEones,
Inclyta SLESuiacus signa DVcatus habet.
Hinc vrens niueo depicta VRtica colore,
Purpureoq; refert HOLStica signa solo.
Candide fulgenti Diademate CYGne triumphans,
STORMaricæ gentis signa venusta notas.
Palmaq; victoris victæ Cataphractus habetur
Ensifer & terræ DITHmariensis EQues.
Candida CRVX olim docet OLDenburgia verum
In Cruce suspensum te coluisse DEum.
Alternoq; TRAbum pictarum Insigne colore,
Stemma refers Comitis DELmenishorste tui.



IN EFFIGIEM SERENISSIMÆ *Danorum Reginæ, SOPHIÆ Secundæ.*

SAPPHICON
Zachariæ VVidingi.

ILla DAnorum SOPhiæ SEcundæ
Forma REginæ: Patre Meglapyrgo
Ortæ VDalrico, Holsteniaqꝫ matre
ELIsabetha.
Quæ pio Regi socia est Secundo
Iuncta DAnorum FRIderico, ab ipso
Autor est vitæ socialis, & qui
Fœderis auspex.
Quæ suo binas Domino decoras
Numinis, Nymphas peperit, fauore,
Quas DEI dextræ sinesine saluas
Protegat vmbra.
Daniæ sic nunc generosa scitum
Regulum electum peperit, futurum
Regij hæredem diadematis, post
Fata Parentis.
Quid loquar mores SOPhiæ pudicos
Pectoris vera pietate natos?
Est Charis, mitis, proba, gratiosa,
Casta, pudica.
Virginis Natum MAriæ colendo,
Eius in puro sacra iussa corde
Condit, huic vni placuisse tota
Mente laborat.
Sic suum Regem Dominum colitqꝫ:
DAnici Regni sacra sors salutis:
Orphanis, mœstis, Viduis, egenis,
Mater & altrix.
Da DEVS longum SOPhia ista Regno
DAnico, Regi pariter marito
Viuat: vt cunctis ea sit saluti,
Christo & honori.

IOLAS
EGLOGA

QVA CANITVR GENETHLIACON RECENS nato Illustri Principi D. CHRISTIANO, potentissimi Danorum Regis FRIDERICI SECVNDI, Filiolo primogenito: Cui breuis etiam Historia Connubij, & coronationis Regiæ obiter inserta est.

Z. VV.
H.


SYLuius & DAphnis, duo conuenere periti
Pastores, parili calamo cantare sueti:
E quibus exiguo, grato sed pectore, versu
Laudes, res gestas, Mauortia Syluius acta
Heroum, tenui modulatus carmine cannæ:
Alter at à patria profugus, sine munere Daphnis
Tristis, inops, exors, tenuis, miser, exul, anhelus,
Corporibus ducens malicentis tenuia multum
Armenta, in Campis errando murmure solus
Ob generosorum certamina lenta leonum
Exilij tristem deflebat carmine sortem:
Conueniunt tandem: grauibus sine carmina curis
Montis in arborei recinentem vertice læta
Repperit á syluis & habentem nomina saxis:
Incipit: ah patulæ tiliæ sub tegmine sylui, D.
Hîc recubans lætum modularis arundine carmen?
Cum patriam profugi fortunæ motibus acti

Suedi-

Suediaci tanto ſpacioſi tempore belli
Liquimus (ah miſeri)peregrinis paſcua pratis
Quærentes gregibus, ſine lege, ſine ordine, noſtris.
S. Daphni ſile, gemitus, vt inanes, linque: remitte
Singultus imo cordis tibi fonte profectos:
Propediem dabitur patrios impune penates
Atq; lares tandem tuto repetiſſe relictos.
Martia Bellonæ ſiquidem trucis arma faceſſunt,
Atq; Salus pariter niueis comes aduolat alis
Cincta caput ramis viridis Pax inclyta Oliuæ:
Omnia nam placidum modo habent certamina finem.
D. Læta refers. Vtinam quoq; ſint ea ſingula Sylui
Vera, mihi quæ tu miſero modo dicere es orſus.
S. Daphni fide firma ſunt hæc digniſſima, narro
Quæ tibi, quæ conſtant mihi perſpectiſſima facta.
Pax etenim pacto ſancita eſt fœdere pridem,
Inter et hæc ſeptem ſpectant quæ regna triones,
Atq; duos eadem Reges qui regna gubernant.
Vnde inijt thalami non diſſoluenda pudici
Fœdera, regali prognata ſtemmate Nympha
Inclytus aſcita ſibi nunc formoſus IOLas.
D. Vnde tibi rerum tam copia læta nouarum?
Ipſe ego cum triſti lachrimoſam pectore terram
Linquebam patriam, reſonabant omnia planctu:
Triſtia funeſtis feruebant vndiq; ſignis
Bella: niſi & bellum fuerat nihil omnium in ore:

Bello

Bello accingebant tunc se iuuenesq; viriq;,
Tuncq; vicem patriæ, nuptæ innuptæq; gemebant,
Præscia tunc coniunx sortem miserata mariti,
Seq; viro, & caro patre ceu caritura tenella
Pignora deflebant: heu tristia & inuida fata.
Crede mihi, recito nisi non comperta, fideq; S.
Digna, vel his oculis vidi, quæq; auribus hausi
Nuper, vbi patriam visi tibi Daphni relictam
(Namq; tuam terram me perlustrare paternam
Iuuit, vt in Danis Pastorum carmina caulis
Auribus ac auido cognoscere pectore possem)
Omnia tunc populi geminato compita plausu
Vndiq; pastorum medijs in montibus hymni
Attentis pecorum concentus auribus apta
Harmonia, tunc sic resonabant, omnia tuta,
Omnia tuta, modo Deus & Pax inclyta fecit
Bella silent: Hymen & bene olentibus obsitus herbis
Intrat in excelsis vbi iam regalis Iolæ
Culminibus, paci placidæ Sapientia cæsti
Iuncta nitet nodis ullo resolubilis ausu.
Ominibus Regi quam se dant obuia lætis D.
Omnia, sint Regi precor hæc Regnoq; saluti.
Ominibus moueor tantis, tam Daphni beatis S.
Plurima de Regis bona vaticinarier orto
Filiolo: siquidem tam læta inceptio, tamq;
Augurijs nupsit Paci Sapientia faustis:

Omina vel ſolis mihi plurima ſpondeo læta
Nominibus, Pacem cùm ſic Sapientia fulcit.

D. Eia tibi noſtro placeat vel nomine Syluj
Hiſtoriæ nobis Hymenæi dulcis IOLæ,
Carmine rem modico geſtam contexere totam:
Singula cum conſtent tibi non incognita facta.

S. Hoc mecum lato poteris conſidere ſaxo:
Dum modò depaſtas recubans grex ruminat herbas;
Et tibi, ſed breuiter, narrabo cognita nobis
Fœdere de noſtri venerando Regis IOlæ:
Cinctaq; ſit quali pompa Galathea corona:
Quaq; recens natus Regis, ſit in arce renatus.

D. Aßideo, gregibus ſtratis in gramine, lætus
Auribus arrectis & auens rem diſcere geſtam.

S. Edidit vt domitæ ſignum Tithomarſiæ in aruis
Nobile virtutis plus quam regalis, Achillj
Haud diſpar, minor aut induto illius IOLas
Exuuias, ſpolijs etiam ditatus opimis,
Antea quàm voluit diademate tempora cingi:
Sic & Hyperboreis animoſi pectoris Heros
Hectoris exeruit vires generoſior oris
Antea connubij ſocialia vincula ſacri
Quàm ſubijt: domito ſenioreq; Rege SVedo:
Altero amicitiam, tandem cum Rege petente
Pace data pacis ſub conditionibus æquis.

D. Ominibus Regi quam ſe victoria lætis

Offert,

Offert, ſint Regi precor hæc Regnoq́ſ ſalutj.
Quam varia Dominus ſanctos ratione gubernat,
Quamq́ſ ſuos vicibus ludens excercet in orbe
Alternis: quam ſunt ſolido non tempore firmæ
Res hominum, lubricæ, ſtabili neq́ſ ſidere fixæ.
Quin modo ſunt lætæ, paulo poſt rurſus amaræ:
Et modo quæ triſtes, vice verſa, ſunt modo lætæ:
Temperat alternis Dominus ſic omnia rebus
Triſtia cùm lætis, cum miſcet dulcia amaris,
Rebus in aduerſis miſeri ne ſuccumbamus,
Rurſus & in rebus ne pectora laxa ſecundis
Inflemus, memores Domini triſtesq́ſ hilaresq́ſ.
Verum age Bellona domita, dic geſta Diones
In primis Regis memorans & nomina Nymphæ.
Omen ineſt rebus, vel in ipſis omina fauſta S.
Nominibus: Pacis ſunt diuitis omnia Regis
Nomina, Reginæ ſapientia nomen obumbrat.
Ominibus Regi & Reginæ proſpera lætis D.
Nomina, ſint Regi precor hæc Nymphæq́ſ ſaluti.
Eſt Obotritorum regio de nomine priſco S.
Inclyta Baltiaci prope ſed vada cærula ponti
Littora Daniacis habet hæc confinia Regnis,
Cui modo ceu cœli præſunt quoq́ſ ſydera fratres
Torua trucis geſtant quorum Bouis ora, paterna
Stemmata: de ſummo venit aſt Sapientia natu,
Gratia cuj nomen diues dat: diuite cornu

Ipsa, Deæ, genitrix satiataq; copia, dulce
Nomen habet fausto quæ sidere nupsit Iolæ.

D. *Ominibus Regi quam se dant obuia lætis*
Omnia, sint Regi precor hæc Regnoq; saluti.
Porro velis Sylui tandem depingere pompam,
Atq; modo quali & quo dicere pacta iugalis
Fœdera FRIDrici et SOPhiæ sint tempore tedæ.

S. *Deuia retrogradi tæsus vestigia Cancri*
Cynthius igniti laßabat terga Leonis:
Nona bis at mensis fuit vt lux orta peremti
Cæsaris, est à quo Quintilis nomen adeptus,
Cum modo maturis flauerent frugibus arua.

D. *Ominibus Regi quam se dant arua beatis*
Pinguia, sint Regi precor hæc Regnoq; saluti.

S. *Excipitur COCHia Danorum Regis in vrbe*
SAXOnicus retinens AVGusti Cæsaris omen
Nominis, vt rebus belloq; togaq; peractis
AVGusto haud dispar, comitatus coniuge princeps
ANNA, germana Regis, comitante Nepote
Regis CHRIStiadis qui nomine magnus auito,
Rebus erit maior, pietateq; maximus Heros.
Excipitur simulac Charitum de nomine dictus,
Qui socer & pater est nostri reuerendus Iolæ,
Coniuge cum generi Satiata dotis Iolæ
Munere, cum reliquis, numero sine, pompa, Dynastis.

D. *Ominibus Regi quam se dant obuia lætis*

Singula

Singula, sint Regi precor hæc Regnoq; saluti.
Haud tamen hoc ipso. Regis reor agmine Nympha
Adfuit, vt pridem deducta in Regis Iolæ
Arce COpenhagia quæ nostri regia Regis.
Daphni audes quid si fuit hic deponere mecum: S.
Et nisi tunc COCHia dulci cum matre profecta
Nympha Copenhagiam petijt sociata decora?
Hunc ausus niuei tecum sum velleris agnum D.
Anniculum, morbo & macula deponere caßum.
Audeo lasciuum hunc contra depromere matris S.
Vberibus raptum, licet atri velleris hœdum:
Perge sed (hanc litem dirimet pòst ipse palemon) D.
Pingere, cæpisti veluti, mihi cœtera Sylui.
Pompa Copenhagiam Cochia qua luce profecta S.
Carpsit iter gradiens lento pede regia, forte
Ipse, sed innumeris alijs comitatus ab vrbe,
Ante, foris, portam calidis spaciabar arenis
Obseruans reditum Regis Procerumq; cupitum:
Ecce via Cochia rectà quæ ducit ad vrbem
Turma equitum primo intuitu de monte videnda
Apparet. fit mox hominum concursus vbiq;,
Rex venit; erecta quisquis modo fronte profatur,
Accelerant longo pedetentim deniq; tractu
Quolibet in membro venientes vndiq; terni
Ensiferi primo famuli nempe agmine, visi
Gestantes geminas in ephippia chiriboardas:

 Postea

Poſtea nobilibus locus eſt, hinc deniq; Regis
Atq; Ducum Proceres, Regni ſubit atq; Senatus:
Vicena octo equitum ſic membra ducenta fuere.
Pone ſuit dictis Ducibus ſociatus Iolas,
AVGuſto imperij dextram Electore tegente,
Et ſocero Regis medij claudente ſiniſtram.
Hinc adoleſcentes ter terni ceu Ganymedes
Geſtabant nitida galeati fronte phalanges:
D. Ominibus Regi quam ſe dant obuia lætis
Omnia, ſint Regi precor hæc Regnoq; ſecunda.
S. Vt prope ſed portam procerum fuit agmen ad vr-
Ecce Boardarum tonitru cum fulgure multo. (bis
E vallo quarum fuerant vicenaq; quina
Tormenta, excipitur regali more, boatu
Horriſono, terra pedibus ſub Daphni tremente.
Hîc ſed ego quali referam quantoue ſonoro
Cum fremitu veluti glans rugijt acta per auras?
Iacta caput paulò ſupra cum murmure noſtrum;
Penè ſono ſimili ſilicem cum Daphni retorta
Funda volans ſurſum ſublimia in æthera mittit:
Quamq; fuit denſus nitrati pulueris aër
E fumo, & ſparſit crebra quem glande petita
Terra, globus ſubijt quoq; vbi fretum Amaggerianū,
Quanta fui ſurſum tunc fuſa & in æthera aquæ vis:
Fumus at à vento veluti fuit actus ab ipſo
Rege, quidem Euronotus quem tunc ſpirabat amœnus,

Omine

Omine felici, velut à quo cuncta nociua
Diffugiunt, cedunt ab eo sic cuncta pericla.
Læta refers Sylui simulac horrenda, sed ipsa D.
Ominibus quam se Regi dant omnia faustis
Prospera, sint Regi precor hæc Regnoq; saluti:
Quid tibi tunc animi fuit in discrimine tanto?
Ipse tremens quamuis & delectabar acerbo S.
Hoc tormentorum tonitru, flammaq; micante,
Attamen astabam Regi (Rex numine tutus)
Sic fore me Regis securum proximitate
Rebar, vt aßistens Ducibus quos numina seruant.
Siue (quod auertit, cui laus, DEVS omne) periclũ
Extißet Regi, cum Rege occumbere pulchrum
Eße ratus, metui vitæ mihi nulla pericla.
Ominibus Regi quàm se dant tuta secundis D.
Omnia sint Regi & precor hæc felicia Regno.
Porro molæ aëriæ volucri ter quinq; susurro S.
Expansis velis, Cereris quoq; munere plenæ,
Cum nitidi toto comitatus agmine Regem
Præcipiti excipiunt reducem resonante rotatu.
Quodue magis mirum; solitum tunc splenduit vltra
Phœbus, at illius cito sub fulgore, subortus
Largus erat, tamen haud multum durabilis, imber.
Ominibus Regi quam se dant prospera lætis
Singula, sint Regi precor hæc Regnoq; salutj: D.
Omen adest Cereris, Phebi, & Iunonis amicum:

Sit

Sit faustum, felix: hæ res vberrima Regi
Tempora promittunt: Nam Solis, & aëris apta
Temperie fructus tellus producit opimos:
Cum serimus Cœlum nam si Deus addit amœnum,
Cumq; latet semen, pluuia rigat inde serena,
Alma Ceres domini cellamq; penumq; replebit:

S. Omnibus explosis grauioribus his bombardis
Quas retuli portæ vallum sublime habuisse,
Intrauit tandem generoso corpore Iolas
Splendidus in niueo residens spumante caballo,
Atq; Duces inter medius qui SAXona sceptra,
Et MEGLapyrgiacas qui dux molitur habenas.
Pone duces & sunt comitata Gynecia Regem,
Hæc vbi & intrarunt vrbis modo mœnia dictæ,
Ecce repentinus strepitus crepitante per vrbis
Fulgure dein gyrum, volitante vt ab igne boardis
Editur explosis crebis cum murmure bombis.
Nauibus exonerant valido hinc tormenta boatu:
Iuncta Tubæ dubios geminant cita tympana tactus:
Transit & in triuijs iterataq; trita tubarum
Harmonia, inflatis non assimilanda cicutis
Nos quibus æstatis soles traducere Daphni
Sueuimus, his gregibus cura vigilante dicati:
Compita densatus populus promiscuus arctè
Occupat, vt Regem possit quoq; cernere Nympham:
Nec vidisse semel, satis est, queat vsq; videre

Qui

Quilibet annixu, cursu, & conamine, sudat:
Excipitur Rex, & comitatus regius inde
Arce Copenhagia, quam fluctibus vndiq; cinctam
Baltica cœruleis Thetis complectitur vlnis.
Ominibus Regi quam se dant obuia lætis D.
Gaudia, sint Regi precor hæc Regnoq; saluti.
Postera lux mitem misit præclara IOHAnnem S.
Pacifica HOLstenias trutina qui flectit habenas.
Inde pij Regis, pius est germanus & vrbem
Ingressus IVNIor, comitante vxore, IOHANnes.
Tertia lux, hæc est Iulij vicena coruscans:
(Qua fera DIThmariæ quoq; luce subacta potestas
Ante decem & lapsos octo totaliter annos:
Annus at hoc versu quo pugna nouissima facta est:
LIbertas terræ fVIt effera DIthMarIanæ:
Est & in his idem verbis breuioribus annus,
Effera LIbertas DIthMarIana fVIt.)
Tertia lux post hæc Regi feliciter (inquam)
Illuxit nitidis oriens formosior alis:
Grande fuit recolit quod CHRisti ECClesia festum,
Sectantes triduùm quo cœlica fercula, verbo,
Et duo, septeno, bis millia, pane cibauit:
Pòst cophinos septem, totidem de panibus, atq;
Pisciculis paucis, pasti (mirabile) replent.
Ominibus Regi quàm se dant omnia lætis D.
Hæc quoq; sint Regi precor & felicia Regno.

S. Vt sacra sed fuerant verbi diuina peracta
Atrio ab excelso descendunt ordine Regis,
Nobilium pariter tandem mixti vndiq; terni
DAniaci, HOlsteny, MEglapurgiaci, quoq; Mysi
Praecedunt Regem sponsum, quem ducere visus
Vt medium SAXO dexter, laeuusq; IOHANNES
Regius vt Frater: Legati hinc atq; Barones
Atria conscendunt, hac, Regis in altera, pompa:
Inde fere simili praecedunt ordine Nymphae
Innumerae, varijs gemmis, auroq; nitentes
Reginam, modico comitantem has interuallo:
D. Omine iucundo quam se dant obuia Nymphae
Singula, sint precor haec Regi Regnoq; secunda:
Qualis erat reliquas inter Galathaea puellas?
S. Id numero dicam: mihi non homo sed Dea visa:
Hancq; Duces parili ducebant nomine bini,
Dexter erat Regis Socer, huic Princepsq; sinister
Pacifer, attribuit cui Gratia nomen vtriq;:
Postea Matronae generosas arce Ducissas
Vltima postremae clauserunt membra sequentes:
Pompa quaterdeno conclusa satellite vtrinq; est,
Corporis hi Regis custodiae vbiq; putati
Vulgus iners validis simul arce bipennibus arcent,
Ianthinus alterna vice & illis albus amictus
Distinctim decorant artus, proceraq; membra:
Sed color est Aulae byssinus coccineusq;

Reginae

Reginæ: Interea CHristum qui pectore & ore 73
Fert, Euangelicæ doctrinæ præco disertus,
CHRIStophorus CHRIsti vere de nomine CNoffus
Veste Damascena decoratus Rege ferente,
Copulat hîc fausto velut omine Pallada Paci,
Vota facit pariter sexus vtriusq; corona
Mente pia, Regi Reginæ fausta precando:
Talibus auspiciis Galathææ iunctus Iolas
Descendit, lætis peragens conuiuia mensis.
Ominibus Regi quàm se dant obuia faustis D.
Omnia sint Regi precor hæc Regnoq; saluti. S.
Quarta dies (lux hæc Iulij vicenaq; prima)
Protulit vxori Regis diadema recenti:
Acta modo mihi quo rogo ne narrare graueris D.
Pompa sit, at breuiter, tibi ne mora longa molesta.
Ducitur in templi penetralia Regia Coniunx S.
(Tecta Damasceno roseo tunc atria templi
Splendebant) sexus proceres vtriusq; decori
Circumstant: sedit Regis decoranda Corona
Nympha chori medio, deaurato sola sedili:
Organicen resono feriens mox pegmate claues
Grata volubilibus digitis modulamina fundit:
Hinc monet officij regalis Episcopus ipsam:
Inde fuit structo Regina Argentea claustro
Abdita: profusis pòst ducitur Aurea tota
Crinibus, vt sponso socianda puella marito:

Occupat auratam, velut ante, decora cathedram:
Musica mox iuuenum superans pius instrumenta
Omnia dulcisonis, concentus, vocibus aures
Occupat attentas, præmolli carmine mulcens.
Illa dehinc surgens templi prope constitit aram,
Rursus & officium regalis muneris audit:
Esse Deo gratus populusq; iubetur ob isthanc
Reginam, Dominam Danorum, vota precesq;
Pro cuius, velutj pro Regis, vbiq; salute
Daniacj Regnj fundat cum plebe SEnatus:
Scabello aurato hinc genua in subsidere iussæ,
Totius vnanimes Regni sub nomine Danj,
Gemmatis Proceres redimiti tempora sertis
Reginæ rutilam gemmis, auroq; coronam
Imponunt capiti, CHristi mediante ministro:
Applaudunt omnes, plausum testante sonoræ
Voce tubæ, templi resonantibus vndiq; tignis:
D. Ominibus Nymphæ quàm se dat Gloria lætis
Obuia, sit Regi precor hæc Nymphæq; salutj.
S. Excipitur posthæc aurato regia cœlo
Nympha, petit sub quo solido de Daphni metallo
Argenti, nitidam deaurato margine rhædam,
Quadrijuges niuei quam tunc traxere caballi,
Bucephali, et Gryphes, quam Nymphæ, & Regia pi(cta
Schemata condecorant varij fortesq; Leones.
In primis placuit signum mihi tale venustum

Talibus



Talibus insculptum pilento Daphni figuris:
Mite coronato tenet S. F. flexile nexu:
Diua dat amplexus vbi nam SApientia Paci,
Sunt parili Pax et Sapientia amore Secundæ, et
Aurea nos tuto gestant Epiredia ductu:
Ominibus Nymphæ quam se Fortuna beatis
Obtulit, hæc Regem & Nympham comitetur vbiq́.
Taliter è templo Regina ornata corona
Redditur Hafniaca Regi vxor in arce moranti:
Fercula certatim fuerant hinc vndiq́ mensis
Imposita, auratis implentur vina phalernis.
Inde sed amotis epulis, precibusq́ peractis,
Plaudere plausibiles iterant caua tympana pulsus,
Stridula festiuos geminandoq́ fistula flatus,
Et tuba grandisonos clanctus repetita crepando
Dant citæ amabilibus Nymphis optata choreæ
Signa, venit saliens agili sociatus amicæ
Plurimus hinc iuuenis pendet cui pectore torquis,
Regi & Reginæ gratantes gestibus aptis
Lætantur patriæ duo talia lumina terræ,
(REgem & REginam) regnis his cœlitus orta,
Autori grates reddentes pectore CHRISTO:
In quorum thalamis BEnedictio fæta virenti
Germine, multiplici Ioue missa propagine diues
Diua, velut vitis floret pendentibus vuis,
Inde DEi dono, Nymphæ, pia pignora, binæ

D.

S.

Omine felici nunc in patris atria florent:
Nuper adhæc, retuli veluti tibi Daphni, beato
Sidere, de Christi, vel Auj de nomine, dictus
Regulus incolumi (superis laus) Principe matre
Pacifer ingenti Regis Regniq́ futuræ
Læticiæ plausu scitissimus ortus Iolæ.

D. *Ominibus Regi quam se dant pignora lætis*
Inclyta, sint Regi precor hæc Regnoq́ saluti.
Vnde sed hæc tenero nosti ventura puello
Tantaq́ deserti patrij solatia ruris?

S. *Est tener augustis nam Daphni parentb⁹ ortus*
Regulus à CHristi vel auito nomine fausto
Omine, Baptismi sub mystica munera dictus:
Natus enim Pacis patre, natus qui quoq́ matre
Principe cui sanctum tribuit Sapientia nomen
CHristianus: Christi, Pacis, Sapientiæ, alumnus
Sic erit, extiterant thalami ceu prospera cuncta
Signa, velut multis memini me dicere verbis,
Fausta patri, matri, soboli, regnoq́ futura,
Huic sed præcipuè de quo modo Daphni locuti,
Regno qui quondam (pia sed post fata parentis)
Talis erit Dano, pater est modo gloria qualis.
Hunc etenim natum Charitum tria numina lotum
In patris augusti, vel aui vestigia sancti
Impositum, gratum populo, Ducibusq́, Deoq́
Tempore venturo Regali sede locabunt;

Singula

Singula læticiam captabunt vnde regenda
Illius auſpicio Borealia regna beato:
Nam velut extinctum lugebant omnia Regem
Huius auum, nato ſic hoc nunc cuncta Nepote
In primis pater, & genitrix, porceresq́, patresq́,
Decrepitiq́, ſenesq́, viri, iuuenesq́, puelli
Gaudebunt velut à luctu ſolatia nacti.
Gloria, laus, & honor, trino Dominoq́ ſit vno D.
Qui facit alternis vicibus poſt triſtia lætum
Nubila ſub cœlo nobis luceſcere Phœbum.
Vidim⁹ (ô lachrimans recito tibi Daphni) peremti S.
Morte pia, potius ſomno quaſi conſopiti
Elatum Regis COLdinga funus ab arce
Semianimes laceris Diuas geſtaſſe capillis
Vrbis ad Otthonis de nomine mœnia primi
Cæſaris, vt SAxj dicti cognomine Magni:
Quam memoras vrbem non eſt à Cæſare Sylui D.
Dicta, nec à Magno, neq́ primo ab Othone vocata,
Ethnici at Otthonis Regis de nomine Danj,
Qui decimus regni Rex eſt & in ordine nonus.
Mercurij lux eſt Danis Otthonia cuius
Nomine, ceu vrbi de ſe dat nomina, quòd ſit
Fluminis hîc ripæ ſub aprico colle ſepultus,
Dicitur hinc Danis vrbs hæc quaſi collis Othonis.
Daphni parum refert ſeu Cæſare, ſiue vocata S.
Rege ſit, hæc præſtans vrbs eſt digniſſima laude

Perpetua, vel ob hoc æterno nomine digna
Tanti in ea quòd sint tumulati funere reges
Daniaci: veluti cuius tibi mentio facta:
Ethnicus hic fuerit licet Ottho: deinde CAnutus
Cui tribuunt Sancti, Pietatis nomine, nomen:
Tertius Ericus mansueto mitior agno,
Forsitan & plures alij: præstantior hisce
Omnibus at sanctus (cepi pertexere cuius
Exequias) rex est CHristi qui nomine Ternus:
Vidimus elatum fuit vt lachrimabile funus
(Inquio) vel multis forsan vidisse negatum,
CHRIstiadis pariter Virtutes ferre pheretrum
(Ceu patris exuuias gestant simulacra, Sleana
In ripa, lachrimis Virtutum tempora obortis)
Ante suas ibat Pietas lachrimosa sorores:
Quam fuerant veluti comitata pedissequa turba
Pax, Probitas, Bonitas, Grauitas, Sapientia, Vir-
Iustitia exilio reuocata, Modestia mœsta, (tus,
Atq; fides constans, durum & Patientia frangens,
Quæq; modum seruat prius vt metitur & ausa:
Tristeq; pars harum pheretrum subiere dolentes,
Pars capulum informes pars vtraq; rupta capillos,
Tristia luctificis tundendo pectora palmis
Lugebant, flebant, plorabant, collachimabant:
Quin Heliconiadũ tria ter, Charitum et tria diuûm
Numina, deflexis luctu ceruicibus ægro,

In ter-

76

In terram & fixis oculis atq; oribus vdis,
Musagetis mœsto plangebant pectore fatum.
Has sed vt est proles flentes flens regia diuas
Intuita, in luctu positas solatur Iolas:
Pacificè lachrimas mandans suspendere cuiuis
Promittit solita fruituras sede locoq;,
Et fore Virtutes in honore vt & ante fuere,
Seq; vicem patriam Musis præstare perennem
Dante Deo, dignam pio amore & honore nouenis,
Hasq; suo in precio fuerint ceu, sicq; futuras
Perpetuo, rerum modò se potiunte, vel ipsis
Illius natis, & qui nascentur ab illis:
Rege pio quod sic velut amisere dolentes,
Repperiunt Rege hoc nostro, Regisq; Renato
Ominibus Nato quàm se dant obuia Regis D.
Omnia lætificis, nobis sint ista saluti.
Euge, pio hoc redeunt nostro aurea secula Rege,
Virtutes, Charites, redeunt, Heliconiadesq;
Quæ modo mandabant terræ sua semina flentes,
Gaudentes remetunt contra nunc corde maniplos.
Vera refers: volo sed paulo his mage Daphni mo- S.
Pastor succensus Regis pastorei amore: (rari
Viuere ceu thuris lacrimis & odoribus æuum
Assyrium perhibent simulac finire volucrem:
Sic annos vixit precibus ter quinq; piorum
HISchia ceu, metam vitæ quasi limitis vltra:

Et pius vt lachrimis moriens tumulatus acerbis:
Est lachrimis quoq; sic factus rediuiuus in isthoc
Quem ferimus merita cœlos ad laude Nepote:
Nam patrio vt perhibent paruum Phœnica renasci
Corpore, qui vitam debet vel viuere auitam:
Sic erit hic Phœnix Regum, Phœniceq; natus:
Sicut enim vitam clausit pietate supremam
Rex Auus Angelica COLdingæ voce vocatus,
Sic Frederixburgo castro Pacisq; Parentis
Natus, in Hafniaca viuit nepos arce renatus:
Et velut illius fuerant mœsta omnia morte
Sic huius modò sunt rursus læta omnia vita.

D. Ominibus Regis quàm se felicia lætis
Omnia dant Nato, Nato sint ista saluti.

S. Est locus in celsa sacer & venerabilis arce
Hafniaca, multo distinctus Daphni sedili,
In medio fixum retinet sublime columna
Suggestum (puto quod dictum quia suggerit ipsi
Dicturo Verbi Præconi mystica sensa:
Et populo auditi verbi penetrantis ad ima
Pectoris Adflatus genuinum numine sensum)
Haud procul exedra dicta, templi nec ab ara
Fons latet æternæ dictus de munere vitæ:
Cuius aquis fusi, sancti & Spiraminis aura
Hæredes CHristi efficimur verboq; fideq;:
Huc tenerùm tandem gestantes Regis Iolæ

Filiolum, ſummo Proceres è ſtemmate multi
Cum precibus CHRiſto, qui vult ſibi talia ſoli
Pignora deferri, latum ſed ſanguine lotum
Illius effuſo, quem Fontis myſtica virtus
Deſignat, ſiſtunt: capit hunc venerandus in vlnis
Præco DEI, recitans diuini oracula Verbi,
Atq; vocans trinum diſcreto nomine Numen,
Vt Patris, & Nati, & Sancti Spiraminis: vndis
Immergit totidem vicibus, pro more vetusto
Daniaco: aut ſemel intingens in nomine IEſu,
Eſt quod idem, præſens in quo diuina habitando
Maiestas plenæ Deitatis numine fulget:
Perfundens vel ter fontanæ flumina lymphæ
Aſpergit nudo, ceu TEuthonis ora ſueuit:
Quolibet hoc patefit Deitatis myſtica trino
Vnica diuinæ naturæ Eſsentia ſenſu.
Cumq; renaſcatur memoranda regius Infans
Luce, DEO trino, qua ſancta Eccleſia, & vni
Sacra facit, celebrans diſtincto nomine Numen
Auſpicio parili tingatur, & omine eodem:
Flumen at vt nudis infunditur ordine membris
Hoc ſanctum donis opulenter ab æthere fuſum
Flamen obumbratur penetrans præcordia paruj
Infantis, mundans arcano pectora motu:
Hinc nudus niueo quaſi iam velatur amictu
Ne (veluti quondam nudatus membra decore

 Erubuit

Erubuit Domini præsentis numen Adamus)
Perpetuò pudeat nudatum debita inesse
Iusticia, cuius, duce CHristo, amicitur amictu.
Viuat at vt rursus decoratus reddito honore:
Nec pereat nudo pudefactus membra pudore
Æterno: amissæ rursum redeuntis amica
Sed queat induuias indutus gratiæ IEsu
Innocuus facie coram consistere CHristi:
Vnde Deus sibi sic ablutum crimine ab omni
Adserit (adseruit lotum ceu Iordanis vndis
Voce DEus, natum Mariæ, pater: idq; sub ipso
Cardine diducti cœli testante sonora:
Et niueæ sancto specie præsente Columbæ
Flamine) adoptatum sacro modò fonte renatum.
Ipsa fides teneri latitans pectusculi in imo
Haurit promissam Flamma mediante sacrati
Flaminis amissam genuina sorde salutem.
Hinc modò perpetuum pactum stabilitur vtrinq;
Inter & ablutum genuina labe puellum,
Atq; DEum, CHristi placatum sanguine sacro
Flumine, qui pueri signatur corpore fuso;
Testibus adiunctis sexus vtriusq;, vocatis:
Compita testantur communia gaudia passim:
Fercula ponuntur, miscentur dona Lyæj:
Gratantur Regi puerum patremq; puello:
Mittuntur puero & Matri regalia dona,

Omnia qui cœlos regit hæc accepta ferendo
Commoda, Daniaco quæ contulit ardua Regno.
Vnde rei tantæ tibi tanta scientia Sylui D.
Rustico, & è caulis pecudes modò ducere docto?
Hoc tibi an est adeo, mihi dic, mirabile Daphni? S.
Sæpe etiam est holitor valde opportuna locutus.
Euohe Daniaco Regno modò gratulor amplo D.
FRIdrici & SOphiæ Natum, Christiq; renatum:
Grator & exangui pecudi modò pinguia prata:
Viuat Io rex viuat Io rex viuat Iolas:
Viuat ab excelsis benedicta Puerpera prole:
Viuat in æternum Natusq; renatus Iolæ.
DANiaci Regni nitidos, humus humida, flores
Sterne, rosas, violas, colocasia, lilia: Lætæ
Floribus omnigenis cunas decorate Camœnæ:
Spargite humū blandæ Charites redolentibus herbis:
Ferte solo Cythisum, fragrantibus atria sertis
Virtutes simulac thalamos ornate decoræ
REGulus in quibus hic teneræ vestigia plantæ
Fixerit, autori CHristo, Regiq; parenti:
Candida purpureo de CHristi ECCLEsia facta
Sanguine, frondoso tu nunc caput exere serto,
Cinge tuam frontem Roris cita flore marini,
Sparge Thymū, caltham, libanotin, amaracon, irin,
Errantes hederas, viridi cum gramine mentam,
Crescentem & digitis Amaranthum sæpe resectum,

Et semper viridis per brumam ætatis Achantum:
Conueniunt herbæ hæ tibi (palmæ vt germina) nam tu
Quo mage deprimeris caput hoc magis exeris altè,
Regulus arridens tibi Christi numine natus
Secula promittit vultu Saturnia miti.
BVCEphale arctoo modò non trux porge LEoni
Annulum ab Indiaco viridantis germine gemmæ,
Ob modò donatum viuacis pignus amoris
Connubij vestri durabile fœdus amici.
Cœruleis LEO trine iubis modò iubila plausu
Ede, tuæ GRYphi felix sociate maritæ:
Plaude bipennifero Regnum Boreale LEOne:
Atq; sali roscis folijs LEO læte nouenis:
Aliger hesperij custos DRAco peruigil horti
Poma negans, vetitum vetita nec ab arbore malum
Decerpens, alas plausu nunc pande gemellas:
Vosq; poli arctoi sub sidere cæteræ in orbe
Insulæ, ab vndoso boreali marmore cinctæ,
ORCades, & FEroës, GLAcialis & insula lata:
TERra Virens viridi de germine, florida fronde:
Tuq; Heneta, aut mauis HETelandia voce Getharũ:
Et niuei diues pecoris GOTHolandia pulchra:
Cætera DAniacæ subiectaq; Regna Coronæ
(Continet vt cuius distantia Teuthona quina
Millia, quîs addas dictis quater ordine dena)
Mitia lætisona felicia tempora voce

Ferte

Ferte DEO accepta, & modò nato plaudite Regi.
RVTA venenosi medicamen morsibus, ictus
Pestilis Ausonijs quos Vipera fecit in aruis
Flore Smaragdini nunc flore, Baltica florent
Regna, tuæ folijs viridantibus aucta corollæ.
Cærulei iunctim gemini gaudete LEOnes:
Plaude tibi VRticæ Folium candente figura:
Vrticæ folijs vescens cane candide CYGNE:
Ensifer exulta Cataphracte EQVes impiger armis:
Candida diuino CRVX pondera germine gestans:
Discolor alterna TRAbis & vice forma quaternæ,
Palmiferæ flore nunc arboris instar vterq;
Singuli in occursum Regis properate decenter
Paciferum vobis Natum Christoq; renatum
Expansis manibus, deuoto pectore, flexo
Poplite, suscipite hunc donatum numine Regem.
Vita sit vt cuius defensa precamini ab hoste:
Tutus & Angelico semper munimine viuat.
Nunc lachrimas mitto, nunc finem impono dolori,
Nunc ego non Daphnis possum mihi displicuisse,
Commoda cum patriæ referas mihi talia Sylui
Pace data, niueæ iunctam modò Pallada Paci:
CHRistiadem Regno patrio, hisce parentibus ortum.
O felix Puero tali pater inclyte Iola:
O felix Puer & tali patre paruule Pacis:
Ter felix mater Sapientia pondere tali:

Matre

Matre puer felix ter & amplius orte Minerua:
Pax pater, & Pallas mater, quid gignere poßent
CHristiadem nisi de Christi sibi numine natum?
Salue Infans, Genitor lætare, Puerpera gaude.
Quale euangelion propter tam nuncia læta
Dic tibi mi Sylui, nostra pro sorte, rependam?
Hanc ego melliti plenam, ne sperne, saporis
Do, gratæ mentis signum, tibi lacte lagenam.
S. *Lechitus hic tibi sit tuus, & lac inane bibas tu*
Daphni, puerperium nostri peto Regis Iolæ
Lætus in hanc mediam bibiturus nectara noctem:
Illius hoc fretus quo me dignatur amore,
Vtpote qui nostram, quamuis sit rustica, Musam
Diligit, vt cui sunt pastoria carmina curæ,
Carmine viuaci cuius quoq; viuida virtus
Digna, velut dignus rex dici Iolaus Iolas.
D. *Ecce tibi fuero comes, & tam comis Iolæ*
Hospes ero, quamuis hominum me nemo vocârit.

FINIS.